

## **Dissertatio inauguralis de cauteriorum actione / [Theodor Anton Rau].**

### **Contributors**

Rau, Theodor Anton.

### **Publication/Creation**

Vienna : F. Ludwig, 1833.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/tmpyjwc6>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

Dubl. coll. 247 XVIII/114

878.7

DISSERTATIO  
INAUGURALIS  
DE  
CAUTERIORUM  
ACTIONE  
QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI

DOMINI

*PRAESIDIS ET DIRECTORIS,*

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

*D. D. PROFESSORUM,*

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN

CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA

publicae disquisitioni submittit

*Theodor Antonius Rau*

Bohemus Planensis,

Medicus Castrensis.



*In theses adnexas disputabitur in aedibus Academiae Jo-  
sephinae die Mensis Julii anni 1833.*

---

Vindobonae 1833.

Typis Francisci Ludwig.

**K. u. k. Militär-Ärztliche Bibliothek**

Standort	Zimmer		Katalog	Abth.	
	Kasten			Gruppe	
	L. Nr.			Nr.	7 A



---

## S e c t i o I.

---

### C a u t e r i i n o t i o .

#### §. 1.

Cauterium, gr. καυτηριον, gall. Cautre, angl. Cautey, germ. Brandmittel, illud vocatur remedium, quod cuti vel superficiei vulneratae adplicatum, escharam plerumque relinquendo, texturam organicam partis ab illo contactae destruit, subsequam inflammationem et suppurationem vel exulcerationem provocans. Sunt, qui etiam sub nomine cauterii intelligant ulcera artificialia, lixivae purae ope inducta, contextum cellulosum penetrantia, quarum suppuratio per longius tempus sustineri debet.

#### Brevis historiae conspectus.

#### §. 2.

Quis primus cauterio sit usus dici non potest, quum antiquissimi auctores hujusce quam dudum noti, usitatissimi, atque aestumatissimi remedii faciunt mentionem. Ex Herodoto Lib. IV suae historiae jam Lybiae quosdam po-

pulos, igne qua remedio praeservativo usos fuisse comperimus, et ex Hippocratis scriptis, Scythas jam per ustionem rheumatismum sanavisse etiam legimus. Ab hisce gentibus, Graeci cauteriorum usum desumsisse dicuntur, et secundum Prosperi Alpini confirmationem etiam Arabes et Aegyptii, in illis panaceam agnoscebant. Caelius Aurelianus in Lib. III curat. diut. pass. C. 4. Themissonem et Praxagoram in epilepsia caput urere, et in lib. II. C. 1. Asclepiadem singulariter medicamenta praedicare dicit. Aetius provocat ad Archigenem et Antyllum, qui etiam adfirmant, veteres in malo ischiadico ustione per stercus caprinum fuisse usos. Etiam Aristoteles, Theophrastus et Dioscorides Lib. II. C. 73. docent, medicos ligno vitis et stercore accenso urere esse solitos. Galenum etiam cauterio in familiari usu habuisse ex eo ellucet, quod praeter caustica etiam igne et candente ferro quam plurimas adfectiones curare docuerit, ut in variis locis in scriptis legi potest; sic et Celsus qui sub Nerone vixit, in morborum curationibus suam ferro candenti laudem tribuit debitam. Plinius secundus in lib. III. C. 5. Theodorus Priscianus in lib. II ad Thimoth. C. 2 et 8 ustionis per ferrum candens meminerunt. Serenus Sammonicus sicut Aetius e Capadocia Paulus ab Aegina et Alexander Trallianus cauteriis non minus

omne jus tribuunt ; sed Caelius Aurelianus Aetius et Paulus ab Aegina plurima de eis perscripserunt, multosque morbos per ignem et ustionem curare docuerunt. Inter Arabum medicos Abulcasis in singulari capite cum vero entusiasmo mirandos ignis effectus exhibet, et fere in omnibus morbis qua remedium universale commendat. In India, China, Japonia, secundum Kaempferii narrationem ustio ad consueta et vulgariter usitata remedia pertinet, et Aethiopes haec saepe contra epilepsiam adhibent. Sic etiam Turci et Armenii magnam fidem in hoc remedium habent, et qui post Americam detectam per Christophorum Columbum de gentibus ibidem habitantibus scripserunt antiquissimi historiae perscrutatores, incolis illius temporis hujus Zonae tam amplae ignis usum nullo modo ignotum fuisse testantur. Ceterum veteres sub cauterii nomine *κατ' ἐξοχήν* ignis adplicationem comprehendebantur, et multo post cum detectionum in Alchemia ulteriori propagatione, etiam in substantiis chemicis materias vim causticam edentes, propterea cauterii nomen merentes, invenerunt.

Cauteriorum actio generatim spectatata.

§. 3.

Cauteriorum actio plus minusve debilis aut energica apparet, quae non solum ab illo-

rum natura diversa, intensionis et concentrationis gradu, adplicationis modo tam vario et hujus duratione, sed etiam a morbi forma et caractere, partium quae cauterisationi subjiciuntur textura et sensibilitate, et subjecti varietate respectu constitutionis temperamenti etc. iterum dependet.

In genere quodvis cauterium corpori vivo adplicatum, ut potentia fortissima partem organicam contactam destruendo ita et nexum organicum tollendo, suam ostendit efficaciam, per combustionem vel corrosionem (resolutionem), sicque sphacelum siccum aut humidum producendo materiam vivam enecat. Pari passu cum materiae organicae destructione necessarie a parte organismi oritur reactio per vitalitatem in partibus vicinis auctam, dolorem vehementem, humorum adfluxum copiosorem praecipue autem per inflammationem vel profundiore vel superficiali se manifestans, quam mox suppuratio sequitur, iterum quoad cauteriorum diversitatem sic et subjecti, respectu quantitatis et qualitates et temporis per quod durat, varie modificata. Per secretionem talem anomalam non tantum resorptio interna intenditur et producta morbosa variae indolis evacuantur, sed etiam in omni reliqua oeconomia vitali, alteratio et metamorphosis magna inducitur. Sic in systemate nervosa torpor

paralyses, neuralgiae amoveantur; in systemate irritabili validiores musculorum contractiones generantur et partium laxitas et atonia tollitur et in systemate reproductivo omnis vegetatio- nis processus intenditur.

Hac ratione etiam fit, ut ex morbi novi per cauteria generatione artificiali, actio vita- lis a morbo priore derivetur, et aucta in loco recenti limitata maneat; ideo passio prior aut inminuitur aut plane supprimitur.

§. 4.

Ex his nunc collatis, in sequentibus ad- fectionibus morborum generatim adhibentur, quae eorum adplicationem saepius expostulant:

a) Ad destruendas pseudoorganisationes et metamorphoses morbosas, infectiones et affectiones gangraenosas.

b) Ad sistendas haemorrhagias quae vel ex vulneribus vel ulceribus vel etiam ex vasis majoribus profluunt, in quibus ergo ligatura adhiberi non potest, vel alia haemorrhagias si- stendi methodus nihil praestat.

c) In pluribus neuralgiis et spasmis.

d) In metastasibus ut vel pars prius ad- fecta irritetur, vel irritatio loco cuidam optiori adfigatur.

e) In paralysibus.

f) In omnibus malis, torpori, atoniae et debilitati activitatis vitalis initentibus, ad inflammationem adhaesivam et suppurationem benignam provocandam.

g) In inflammationibus chronicis et asthenicis singularum partium.

§. 5.

Sicut cauteria in morbis supra denominatis saepe effectus salutare praestant, ita etiam conditiones respiciendae sunt, quae eorum usum interdicunt. In genere valet regula, ne cauteria propter effectum heroicum quem exerunt in usum trahantur, si alia mitiora remedia sufficiunt, quibus scopum assequi possumus. Porro in nimio systematis sanguiferi impetu, sic et nervosi; si pars cauterio tentanda ipsa est inflammata, aut tam magni ambitus, ut ex illius cauterisatione magna timenda sit reactio; major subjecti vulnerabilitas; si jam alia naturae conamina salutifera adsunt, quae critica adpelluntur et per cauteriorum effectum turbari possunt; in omnibus his casibus usus eorum est intercidendus.

§. 6.

Quod attinet locum adplicationis vel ipsa in parte morbosa vel ejus vicinitate cauterisatio institui debet; multum iterum a partis mor-

bosae indole, metamorphoseos specie, sanationis scopo etc. dependet.

Licet fere ad omnes corporis partes cauteria adplicari possint, tamen vero nervis majoribus et vasis parci debet; sic etiam organa nobiliora interna et talia corporis loca evitanda sunt ubi proxime cutem ossa, partes fibrosae aut tendinosae situm habent. Directa igitur ad partem morbosam adplicatio locum habebit in pseudoproductis, degenerationibus, contagiis, in sanguinis fluxu; ad adperienda cava et ulcera fistulosa; porro ut vitalitas partium adjacentium intendatur et reactio validior generetur; dein si affectiones locales in loco apto existentes salutiferae et criticae adparentes sint bene sustinendae atque loco praesenti limitandae; vel partes separatae per marginum vulnerationem conjungendae; denique si cohaesiones abnormes sint separandae.

Plus minusve a parte adfecta remotum, cauterium adplicari debet, si pars morbosa profunde jacet et occulte; si passio internum organum nobileprehendit; vel si fonticulos formare hac ratione passionem vicariam efficere velimus.

§. 7.

Adhuc aliquid de cauteriorum divisione adferre restat. Varias quidem existunt classifi-

cationes, sed omnes hic recensere non solum superfluum esset, verum etiam nihil utilitatis proferret.

Antiqua et gravis cauteriorum divisio, cujus jam Fienus mentionem fecit est: in cauteria actualia et potentialia, quam etiam in mea tractatione de cauteriorum actione retineo et in sequentibus ulterioribus sectionibus perlustrare conabor.

---

## S e c t i o II.

---

### C a u t e r i a a c t u a l i a.

#### §. 8.

Sub cauteriis actualibus illae intelliguntur potentiae, quae summo aestus gradu effectum suum exerunt, et partes per contactum comburunt et in carbonem redigunt.

#### §. 9.

Eorum actiones:

Remedia huc pertinentia in eo excellunt prae ceteris, quod celerrime agant et magna cum energia suam explicant efficaciam. Summo aestus gradu, in momento adplicationis partem comburunt et escharam generant siccam. Effectus valde est discutiens per omnia corpo-

ris systemata et organa cito diffunditur; praesertim autem systema nervosum adficitur. Dolor licet vehemens sit et penetrans, tamen fugax est. Respectu comparationis cauteriorum actualium et potentialium inter se, priora in eo differrunt a posterioribus, quod nullum ad resolutionem et liquationem, suppurationis processum proclivum efficiunt. Eschara ex repentina in carbonem redactione orta, mox per suppurationem dejicitur, sic et sphacelus non proserpit, sed potius adplicationis loco limitatur. Cicatrix, quam relinquunt, minus deformis apparet. Ceteri effectus sunt eidem ut jam supra in generali cauteriorum actione exposuimus.

§. 10.

Adrident igitur medicis:

a) Ad destruenda pseudoproducta ut sunt: polypi in antro Hygmorhi, condylomata verrucae, angiectasiae, exostoses maligni.

b) In haemorrhagiis parenchymatosis ex vulneribus et ulceribus, vel si sanguis e ramis majoribus effunditur, ligatura adhiberi non potest, et alia haemorrhagiam sistendi methodus non sufficit e. g. in sanguinis effusionibus e fungosis excrescentiis, lingua, antro hygmorhi, arteria meningea media, alveola, palato e. s. p.

c) In neuralgiis et spasmis, epilepsia, chorea, asthmate, cordis palpitatione chronica, dolore Tothergilii, ischiade nervosa, haemicrania, cephalalgia, clavo, odontalgia, doloribus rheumaticis et arthriticis.

d) In paralysibus, praecipue in illis in quibus nervus prehensus per stimulum fortem excitari, vel per dolorem quem ustio causat, paralysis cum neuralgia juncta derivari debet. Sic in paralysibus nervorum puris, quas nervorum laesiones luxationes, nimiae mentis intensiones et multa alia post se trahunt. Singulae morborum formae quibus respondent sunt: amaurosis, surditas, musculorum paralegiae, morbi psychici e. g. mania etc. cerebri atonia e. g. vertigo. e. s. p.

e) In passionibus localibus quibus torpor, atonia, actio vitalis delapsa subest, ubi ergo activitas vitalis est excitanda et inflammatio cum suppuratione benigna est pro vocanda, aut in ipsa parte aut ejus vicinitate, ut sunt: affectiones gangraenosae; e. g. carbunculus, gangraena nosocomialis cum tali partium vicinarum conditione, ubi jam alia remedia fortiora adhibita, non sufficientem excitationem efficere valent; ulcera maligna, e. g. ulcera phagadaenica, putrida, atonica, fungosa, carcinomatosa, fistulosa etc. partium mollium relaxatio et atonia, ut prior elasticitas et robur iterum re-

stituatur e. g. luxationes atonicae, ptosis oculi e. s. p.

f) In chronicis et asthenicis inflammationibus singularum partium cum peculiari ad exsudationem, indurationem et resolutionem proclivitate. Huc pertinent: abscessus frigidi, hydrodrops ventriculorum cerebri, pleuritis chronica exsudativa, indurationes lienis, hepatis etc. multifariae formae arthrocaecae cexarthrocaecae, gonarthrocaecae, spondylarthrocaecae e. s. p.

g) In suppurationibus internis, e. g. in phthisi ex vomica, in hepatis abscessibus etc. Larrey et alii plures, bonos successus animadverterunt.

Praeter hos denominatos casus adhuc alii sunt morbi in quibus bono cum successu cauterisatio adhibita fuit.

#### §. 11.

Quod attinet locum adplicationis, vel ipsa in parte morbosa vel ejus vicinitate cauterisatio instituitur; multum iterum a partis morbosae indole, metamorphoseos specie, sanationis scopo etc. dependet. In genere loca illa sunt evitanda, ubi ob effectum penetrantem in partibus profundioribus noxa induci potest e. g. pars cranii quae solummodo cute tegitur, palpebrae, nasus, aures, larynx, trachea, sternum, linea alba, partes genitales, mammae,

ligamenta tendines nervi in extremitatibus qui sub cute proxime jacent. Sic etiam numerus cauterisationum quoad sanationis scopum, morbi characterem et formam e. s. p. iterum determinari debet.

### Cauteria actualia specialia.

#### §. 12.

Omnia fere ad ustionem adhiberi possunt corpora inflammabilia; sed per longum jam tempus tantum metalla propter magnam pro calore capacitatem et quod optimi sint conductores, et adhuc ante horum adplicationem escharae profunditatem et amplitudinem determinare possimus, in usum trahuntur. Ex plurimorum auctorum opinionibus ferrum et chalybs ad ustionem optime adhibentur.

#### a. Ferrum candens.

#### §. 13.

Effectus ferri candentis respectu ejus intensionis, durationis et extensionis aestus, varie modificantur. Per cauterisationem in distans erythema prognerat et stimulum fortem; per cauterisationem transcurrentem, combustionem superficialem efficit et dolorem vehementem penetrantem; per cauterisationem vero inhaerentem quoad ferramenti crassitudinem, aestus gradum, cauterisationis durationem, plus

minusve profunde pars destruitur. Summo aestus gradu feramentum, colorem albidum induens citissime partem contactam destruit et dolorem vehementem discutientem, penetrantem tamen vero fugacem generat. Eschara formata respectu ferri candentis crassitudinis, vis qua fit adplicatio, ejus repetitionis, partium texturae, est varia. Partes vicinae valde irritantur et corrugescunt. Post aliquot dies major humorum adfluxus oritur, partes combustae separantur et suppuratio benigna apparet. Adhibetur in vulneribus venenatis, gangraena humida et profunda, haemorrhagiis; ad partialiter destruendos tumores fungosos, carcinomatosos; ad sanandas fistulas salivales, vesicovaginales; in carie, neuralgiis, epilepsia; in atonia, paralyti, relaxatione partium singularum; in arthrocacibus e. s. p.

Varias ferri candentis formas sic et singularem adplicationis methodum generatim et specialiter sat ample docet chirurgia.

b. M o x a.

§. 14.

Haec in relatione ad ferrum candens qua remedium mitius est consideranda. Si in superficie accenditur, ab initio aeger caloris sensum et pruritus persentit; elapsis aliquot momentis dolor oritur urens, qui vehementior

fit si cutis corpore deflagrante tangitur. In ultimo tempore quo moxa igne absumitur, crepat cutis, flagrat, et eundem ut cornu combustum edit fumum solidum. Aestus profunde percipitur, et eschara in centro fusca ad marginem flava relinquitur. Patet igitur ex his moxam a mitiori aestus gradu sensim sensimque ad altiore ascendendo efficaciam suam explicare. Cutis in ambitu est rubra, sensilis, rugosa interdum etiam phlyctænis oblecta. Dolor, quem moxa efficit, multo vehementior evadit illo a ferro candente producto. Ceterum vero respectu efficientiæ moxæ ab illius magnitudine, ambitu et materia multum dependet. Multam sibi adquæsit famam in inflammationibus laryngis chronicis, membranarum et viscerum in cavo tharacis et abdominis contentorum, in morbis organicis columnæ vertebralis, luxationibus spontaneis, tumoribus albis, rheumatismo chronico, paralysibus et neuralgiis e. s. p.

Materia e qua moxæ formantur est varia; vulgatissimæ et usui adcomodatissimæ sunt illæ secundum Pouteau paratæ.

Phosphorus in frustulis accensis a Paillardio et kalium a Graefio pro ustione etiam adhibebantur.

c. A q u a f e r v i d a.

§. 15.

Cuti externae si adplicatur gradu aestus mitiori erythema inducit, summo autem aestu ambustionem, qua cutis et ipsa pars tunicae adiposae subjacentis in escharam siccam mutatur. Sequitur mox inflammatio cum suppuratione sat lurga, quae liquore ammonio caustico plagae vulneratae adlato quodammodo coeretur. Dolor est vehemens et penetrans, quae ratione a remediis rubefacientibus et vesicantibus se differt.

Adplicationis modus est varius; in genere melius est si remedium hoc, spongiae ope vel splenio pluries composito antea leniter expressis cuti, si vesicae formationem expectamus, adfertur.

Adhibetur in Leipothimia, metastasibus rheumaticis et arthriticis ad cor et cerebrum; in Lethargiis, haemoptysi, in vehementioribus haemorrhagiis canalis alimentaris repente ortis; porro in ulceribus atonicis, fistulosis, abscessibus lymphaticis (Rust), etiam in tumoribus cysticis, hydrocele etc.

d. Vapores fervidi.

§. 16.

Eundem fere habent effectum ut aqua fervida, in eo quidem ab aqua se differunt, quod temperatura in iis augeri possit, et effectus eorum magis constans sit et adplicationis loco limitetur; Dzondii \*) machina vaporaria optime adcommodata est.

§. 17.

Adhuc alia restant que olim a veteribus adhibita fuerunt ac: plumbum fervidum igne liquefactum sic et resina, sulphur etc.; oleum fervidum; spiritus flammans et naphta accensa et alia quae vero chirurgia recentior merito rejecit.

§. 18.

Radii solis vitri ope in focum collecti, ingentem et intollerabilem efficiunt dolorem. Propter quam inducunt noxam ista urendi methodus est relinquenda.

---

\*) O. H. Dzondi, die Dampfmaschine, eine Anweisung, den Strahl heisser Dämpfe auf eine neue Art zu ärztlichen Zwecken anzuwenden, Nebst zwey Steintaf. Halle 1821.

S e c t i o III.

---

Cauteria potentialia.

§. 19.

Cauteria potentialia, illae nominantur substantiae, quae vi corrosiva texturam corporis animalis resolvere et destruere valent.

§. 20.

Horum agendi ratio:

Auctores qui de hisce conscripserunt substantiis quoad earum vim et agendi modum non consentiunt, et valde difficile est invenire modum, quo omnes considerari possent. In eo quidem conspirant quod materiarum organicarum cohaesionem non tantum imminuere, sed etiam totam tollere et ipsam organicam texturam destruere valeant. Ceteroquin remedia huc spectantia minus cito agunt ut cauteria actualia. Secundum plurium aegrorum narrationem dolor, si durationem respicis, vehementior, intollerabiliorque post adplicationem exsurgit.

Quum texturam organicam resolvendo destruunt, etiam sphacelum producunt humidum. Humores putridos non dissipant; partibus vi-

cinis minus elasticitatis et roboris addunt quam ignis. Inflammatio orta post quorundam causticorum adplicationem saepius minus apparet intensa, sic et suppuratio tarde insequens ab initio magis ichorosa se exhibet, quod iterum in partium vitalitate depressa, quam caustica per resolutionem inducunt est quaerendum. Efficaciae eorum limites ponere difficile est, nam multa ex iis e partiali absorptione vitae discrimina imo et mortem ipsam adducere valent; sic etiam sphacelus circumstantiis faventibus saepe latius proserpere potest. Eschara ex resolutione materiae organicae orta ob suppurionem tarde insequentem sero abjicitur. Propter humorum jacturam quam saepe efficiunt etiam debilitant. Cicatrix relicta plerumque est deformis. Ceterum vero notandum est, quod efficaciae celeritas horum remediorum, profunditas et extensio superficiei vulneratae, escharae consistentia, inflammatio plus minusve intensa, et suppurationis subsequae conditio, effectus periculosi qui ex eorum absorptione exoriri possunt, omnem attentionem medici mereant.

§. 21.

Adhibentur igitur :

- a) Ad destruenda pseudoproducta ut sunt : polypi, verrucae, excrescentia fungosa, condylomata, sarcomata etc.

- b) Ad curandos tumores lymphaticos (Beinl-) abscessus frigidos, hydrocelem (Levret).
- c) Ad destruendum virus in vulneribus venenatis et in cute e. g. vulnus e morsu animalis rabidi; virus morsu viperæ parti cuidam adlatum; in pustula maligna.
- d) In ulceribus fungosis, callosis, atonicis cariosis, fistulosis, herpeticis etc.
- e) Ad curandam urethrae stricturam. Variæ existunt methodi in curando hoc morbo; ob mala, quæ cauterisationem sæpe sequuntur cum maxima cautela hæc est instituenda.
- f) In adfectionibus morboris oculi et cutis e. g. ophthalmia chronica, conjunctivæ et palpebrarum granulationibus, maculis corneæ etc.; herpete exedente, scabie etc.

Pluribus adhuc in morbis adhibentur, quas per derivationem sanare cupimus ad generanda ulcera artificialia, ad formandos fonticulos. Quales morbi formæ huc spectant jam ex prioribus dictis patet.

§. 22.

Quum ista remedia magis chemice agunt texturam arganicam resolvendo, in discrasia universali, cum debilitate magna in statu colliquationis adhiberi non debent, sic etiam quando per liquationem causticorum partes vicinæ

majori in ambitu quam cupimus vulnerari possent.

---

Cauteria potentialia specialiter spectata.

---

A. Alcalia caustica.

§. 23.

Lapis causticus chirurgorum, lixiva pura, kali causticum, Atzstein. Efficaciam suam in superficie denudata vel membrana mucosa intra tempus breve exerit. Cineream aut fuscam, mollem, humidam et quoad copiam adhibitam, durationem, plus minusve crassam generat escharam. Post hujus abjectionem plerumque ab initio saniosa, serius vere benigna se ostendit suppuratio. Ad caustica pertinet materias animales quam maxime destruentia, itaque ejus vis caustica profunde lateque proserpens activitatem reproductivam annihilans et sic inflammationem magis asthenicam producens saepe ulcera maligna generat. Cicatrix relicta est deformis. Adhibetur ad destruenda excrescentia morbosa: verrucas, carnem luxuriantem etc.; ad apperiendos abscessus aut tumores frigidos, ubi cultri applicatio recusatur;

ad excitandam inflammationem et suppurationem profundiore, ad resolvendum virus hydrophobicum, etiam viperarum et serpentium morsui opponitur; dein in rheumatismo diurno, arthritide, ulceribus impuris, blenorhoea, tumoribus frigidis etc.

**N**atrum causticum, soda pura, ut kali causticum agit, tamen huic indole caustica aliquomodo cedit.

**A**mmonium causticum, effectum exerit causticum in omnes partes organicas, propterea erythema, vesicas, inflammationem, erosionem tandem et sphacelum producit, si concentratum parti cuidam adplicatur; praeterea adhuc qua remedium excitans volatile in vasorum et nervorum fines agit.

## B. Metalla corrosiva.

### §. 24.

**A**rgentum nitricum, nitras argenti fusus, lapis infernalis Höllstein. Lente agit in cutem externam, quam tangens colore tingit nigricante, cito autem partes carnosas vivas destruit, dolorem urentem breviter durantem producens. Effectum non ultra adplicationis locum diffundit. Eschara est sicca, cinerea et crassa. Adhibetur ad destruenda excrescentia varia; ad

purganda ulcera quaecunque alia impura, aut ad nisum plasticum in iis intendendum; ad removendam ulceris syphilitici recentis superficiem contagio inquinatam e. s. p.

Oxydum hydrargyri rubrum. Intermittiora et fortissima caustica intermedium sibi locum vindicat. Mercurio sublimato corrosivo mitius agit, non profunde penetrat et minorem generat dolorem et inflammationem, tamen vero serius largam plerumque benignam producit suppurationem.

Hydrargyrum sublimatum corrosivum. Structurae organicae et vitae aequae est insidiosum causticum, facile in humores ingrediens universales in oeconomia vitali generat turbas; propterea summa cum circumspectione, nec plagae corporis humani latiori adhibendum. Inflammatio ab eo inducta est vivida et limitata. Ad vulnus aut epidermium tenerum adplicatum escharam format albescentem, quae mox abjicitur. Suppuratio non semper est pura.

Liquor hydrargyri nitrici oxydati, Liquor Bellostii. Eandem ostendit virtutem ut oxydum hydrargyri, tamen vero hoc profundius atque fortius agit. Ad destruenda pseudoproducta majora adhibetur et in ulceribus atonicis, carie etc. Cuprum sulfuricum, sulphas cupri. Vis caustica, ea eruginis major, tamen vero minor ea butyri

antimoni et argenti nitrici fusi. Praeter causticum etiam adstringentem et cohaesionem augentem exerit effectum in partes organicas contactas. Respectu adplicationis externae reliquis praeparatis cupri praeferenda est. Bonum est remedium in ulceribus laxis, impuris, cacochymicis et blenorrhoeis chronicis, haemorrhagiis parenchymatosis.

Cuprum aceticum et carbonicum quoad effectum inter se sunt aequalia, tamen vero cupro sulphurico mitiora sunt remedia.

Stibium muriaticum, murias stibii, butyrum antimonii. Est fortissimum inter caustica liquida, saepe in ambitu partis caustico tentatae processum liquationis intendit usque ad resolutionem veram; est itaque cautissime adhibendum. Cito effectum diffundit et profunde penetrat. Ad destruenda staphylomata, polypos, verrucas commendatur etc.

Zincum muriaticum vi caustica sua stibio muriatico non cedit; profunde penetrat et cito destruit. Actio ejus eadem esse dicitur ut argenti nitrici fusi. Quum vero profundius penetrat etiam dolor intensior est et constantior. Votius in individuis cachecticis, laxis, contra ulcera, impuris, laxis, gelatinosis luxuriationibus, notata, bono cum successu adhibuit. Hanke etiam in ulceribus syphiliticis, scrophulosis et herpeticis recommendat.

**Tartarus emeticus.** Si cuti externae diutius adplicatur, inflammationem provocat ex qua pustulae efflorescunt, pure repletae, quae satis dolent etsi per ulteriorem remedii usum ultra quam par est, incenduntur, rebellem saepe ulcerationem relinquunt. Qua causticum profunde penetrat et mixtionem organicam alienat; singulis in casibus, infriktiones ex unquento effectum suum ad canalem intestinalem extendere observatum est. Variis in morbis adhibetur: eg. in pertussi, catarrho chronico, affectionibus rheumaticis, neuralgiis, indurationibus glandularum, abscessibus frigidis etc. in variis oculi adfectionibus e. g. blepharophthalmia glandulosa.

**Arsenicum album.** Cuti externae adplicatum hujus desquamationem efficere dicitur, si vero ulceri adfertur, destruit ejus, superficiem et crustam duram coreaceam producit. Destructio in profunditate est modica. In partibus vicinis provocat inflammationem, quam plerumque suppuratio benigna et larga sequitur. Interdum ejus usus periculum post se trahit. **Patrix** in opusculo suo sub titulo: *die Kunst, die Arsenikpaste anzuwenden*, et **Smith** in ejus tractatione de usu causticorum magnam ex variis auctoribus observationum copiam depromptarum collegerunt quae de indole Arsenici venenata et de causa perniciosorum symp-

tomatum ejus adplicationem subsequens vitiosam, nihil dubii derelinquunt.

Externe adplicatum in cancro, in ulceribus mali moris, excrescentiis fungosis etc. adhibetur in quibus virtutem non exiguam ostendit.

### C. Acida mineralia.

#### §. 25.

Acidum sulphuricum, nitricum, muriaticum, concentrata si adhibentur, partem quam proxime contingunt quasi comburunt et in vicinitate inflammationem provocant. Dolores quos producunt sunt plerumque vehementes. Effectum suum ultra adplicationis locum diffundunt.

Opponuntur saepe aphtis, gingivae ulcerosae atque scorbuticae, ulceribus variis, impetiginibus etc.

### D. Caustica terrea.

#### §. 26.

Calx viva, parti cuidam adplicata, effectum exerit causticum ut lixiva pura, tamen autem illius actio infirmior est et magis superficialis. Pertinet ad remedia exsiccantia, Plerumque aqua calcis vivae in usum trahitur in impetiginibus

e. g. crusta lactea, herpete etc.; in ulceribus  
e. g. cancro syphilitico, carie et in blenor-  
rhoeis urethrae et vaginae.

Alumen ustum, causticum est mitissi-  
mum; cum vi sua caustica simul adstringen-  
tem conjungit. In omnibus iis adhibetur casibus  
morbosis, quibus atonia subest aut qui proclivita-  
tem ad resolutionem produnt, e. g. in angina  
putrida, gingiva scorbutica, aphtis, haemor-  
rhagiis parenchymatosis etc.

---

### L i t t e r a t u r a.

---

**J.** Delfini quaestiones med. quarum II de  
cauteriis, Venet. 1559.

**Th.** Fienus de cauteriis libri quinque, Lo-  
vanii 1598.

**Pascal** über die Wirkungen des Brennens und  
der Moxa in Richter's chirurg. Bibliothek  
B. XIV. S. 529.

**Starke** über die vortrefflichen Wirkungen des  
Glüheisens beym typhus paralyticus in  
Rust's Magazin, Bd. II Heft 1 S. 150.

**Wolf**, Beobachtungen über die Anwendung  
des Glüheisens und den äussern Gebrauch

des Brechweinsteins in Gelenkübeln, ebendasselbst, Bd. V Heft 3 S. 435.

Percy über die Bereitung und Anwendung der Brenncyylinder in v. Graefe und v. Walther Journal, Bd. III Heft 3 S. 41.

Chr. Fr. Hegman, Dissertatio inauguralis de moxa, Berolini 1825. Im Auszuge auch in Graefe u. Walther Journal, Bd. XII Heft 2.

B. A. v. Kern, über die Anwendung des Glüh-eisens in verschiedenen Krankheiten, Wien 1828.

Rust's Handbuch der Chirurgie, Bd. 4 Litt. C. Friedr. Ludw. Meisner's Encyclopädie der medicinischen Wissenschaften.

Pharmacologia dynamica Ph. Carol. Hartman, Vindobonae 1829.

Vogt's Pharmacodynamik. Nachdruck. Wien 1828.

Michael Haager's Operationslehre. 1. Bd. Wien 1831.

---

Theses defendendae.

I.

Qui medicus in caeteriorum doctrina non est bene versatus, praestantissimis in morbis curandis saepe caret remediis.

II.

Urinae retentio plerumque morbi symptoma.

III.

Ex aequali effectu medicamentorum ad idem principium efficax in iis contentum concludere nefas.

IV.

Conceptus absorptionis quoad varias entium viventium species varie definiri debet.

V.

Vitae potestas in alimentis assimilandis absoluta non est.

VI.

In necessitatibus satisfaciendis vitae animalis non datur indifferentismus.

VII.

Medicamenta inter et alimenta limites arcti duci non possunt.

VIII.


Rationalismus et Empirismus sine respectu unius alteriusve pro se culti, in arte medica plus damni quam lucri inducunt.

IX.

Medicus chemiae studio destitutus unilateralis est.

X.

Culter contra scirrhum et carcinoma non semper remedium.



VI

necessitatibus satisfaciendis vitae animalis  
non datur indifferens.

VII

elementa inter et alimenta similes sunt du-  
ci non possunt.

VIII

rationibus et Experimentis sine respectu unius  
alterius pro se ulla in arte medica plus  
dantur quam licet inducant.

IX

dius chemiae studio destinatus unilateralis  
est.

X

ter contra scitum et certum non sem-  
per remedium.